UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Metropolis Salisbvrgensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum Collegiatarum, &c. per Boiariam, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Beatae Mariae Uirginis Monaci Collegivm Canonicorvm Regularium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13578**

Visual Library

V. CYRIACVS, præfuit ab anno 1505. vſque ad an. 1517.

VI. VITVS electus an. 1517. propter certas cauſas & quorundam importunitatem, è Monaſterio clàm diſceſſit an. 1522.

P. Iohannes Staudenhöchtel Prior, Monaſterij Abbate & Conuentu deſtituti geſſit, vſque ad annum 1558. quo viuere deſiit. Damnorum quæ Monaſterium tunc, & pluribus annis ſubſequentibus perpeſſum fuit, auctores fuerunt Nuspergeri, qui paupertatem loci prætexentes tantam, quod neque Abbas nec Conuentus ſuſtentare poſſent, redditus Monaſterij ſuis vſibus applicuerunt.

Mortuo Ioanni Priori, ſubrogarunt Nuſpergeri & Raineri anno 1558. Balthaſarum Lauthenſchlager Laicum, hæreſi Lutherana infectum, qui Monaſterium Mariæ Cellæ, & Præfecturam Prennbergeñ. ſimul adminiſtrauit: quem in eodem munere exceperunt ſub iiſdem Dominis eiuſdem farinæ homines.

Leonhardus N.
Blaſius Has.
Balthaſer Lauttenſchlager.
Iohannes Sündt, amotus propter rem malè geſtam in ſumma paupertate miſerrimè obiit.
Georgius Kalmöder.

Cœpit tandem Monaſterio ſerenior ſpirare aura, & ſalubrior. cum anno 1582. præeunte legato Apoſtolico R. P. Feliciano Epiſcopo Scaleñ. & Ratisboneñ. Eccleſiæ Abbas VII. ad Generalis Vicarij Ratiſponeñ. D. Iacobi Mulleri inſtantiam per Abbatem Monaſterij Oberaltach, nominatus, & Ratiſponam miſſus, indeque Monaſterio Mariæ Celleñ. præfectus fuit an. 1582. qui reſignauit die 28. Aprilis, an. 1609.

Succeſſit PETRVS dictus Widmann de Caſtro Wörth, eo tempore Prior & Vicarius in monte B. Mariæ Virginis Pogen, & Conuentualis monaſterij Oberaltach, poſtulatus in Abbatem die 29. Aprilis, anno 1609. confirmatus & conſecratus Ratisbonæ die 13. Iunij eiuſdem anni.

## BEATAE MARIAE VIRGINIS MONACI COLLEGIVM CANONICORVM *Regularium.*

ALBERTVS Dux Bauariæ hoc Collegium magnis laboribus & impenſis fundauit, & duo Collegia Illmünſter, cum reliquiis D. Arſatij, & Schliers ex rure, ab dem Gew huc tranſtulit, ac vniuit, Anno 1499. cui translationi quidam Canonici, præſertim autem Sixtus Epiſcopus Friſingenſis, ordinarius vtriuſque loci vehementer ſe oppoſuerunt: Sed Dux hoc à Pontifice Maximo impetrauit, à quo & confirmatio facta eſt. Inſtituti ſunt ibi Præpoſitus, qui habet duas integras portiones duarum præbendarum. Item Decanus, qui tantundem habet, & 14. Canonici, inter quos & Decanus numeratur: Inter iſtos deberent eſſe quinque Doctores vel Licentiati, quinque Nobiles, & ex ciuibus, qui ſint honeſtæ familiæ, & inſignia nobilitatis habeant, quatuor. Collatio omnium iſtorum beneficiorum eſt penes Principes Bauariæ.

PRIMVS Præpoſitus ibi factus eſt Ioannes Neunhauſer, Decanus Ratisbonenſis, Cancellarius Alberti, Ducis Bauariæ, vir induſtrius, circa Annum 1500. erat ex Nobili familia Bauariæ, ſed naturalis tantùm, qui donauit huic officio Præpoſituræ eam domum, quæ adhuc Prępoſiturę dicitur, eamque refecit, vnà cum horto ante Wurtzer Thor ſitam. Idem Diuæ Virgini dono dedit auream crucem precioſis lapidibus ornatam, precij 335. florenorum; inſtituit etiam ibi perpe-

perpetuam Miſſam ſuper altare S. Georgij,cuius tamen Capellanus, Leuitæ
quoq; miniſterio fungatur.

ANNO Dñi 1271. diuæ Virginis Capella ſeu Sacellum ſeparatum eſt à Pa-
rochia S. Petri,ac per ſe Parochia facta , conſecrata per Conradum Friſingen-
ſem Epiſcopum in vigilia S. Catharinæ.Ita Ioan. Auent. in ſuamet tranſlatio-
ne Annalium,quod in Latino omiſit.

LVDOVICVS Imperator quartus inſtituit ibi quotidianã ac perpetuam
Miſſam celebrari, in ſummo ſeu altari Chori.

LVDOVICVS Marchio Brandeburgenſis, filius, præſentauit Capella-
num ſuum,Vlricum de Berchtolshouen , Alberto Friſingenſi Epiſcopo, quem
Auunculum ſuum vocat,Anno. 1353. Erat enim Albertus hic Comes de Ho-
cẽhberg & Haigerloch,Ludouici Marchionis Auia materna erat eiuſdẽ familiæ.

ANNO Dñi 1468.inceptum eſt ampliſſimum ac auguſtiſſimum Templum
B.Mariæ virginis in Monachio deſtructa veteri Capella, quæ indies creſcentem
multitudinem plebis ampliùs non poterat capere,finitum & perfectum largiti-
onib. præcipuè Ducum Bauariæ,ac piorum hominum eleemoſynis, ex coctis
laterib. præter fundamenta eius.an. Dñi.

ALBERTVS Dux, cùm animaduertiſſet nouum illud Templum plu-
ribus ſepulturis nouis & lapidibus repleri, conſilio habito cum ciuibus Mo-
nacenſibus , ſeuere hoc inhibuit; exceptis illis familiis, quæ in veteri Tem-
plo ius ſepulturæ habuerunt; ita tamen vt omnes de eadem familia non am-
pliùs quàm vnum ſepulchralem lapidem ibi haberent, ac nullos alios ex fami-
lia admitterent.

ITEM excepti erant quoq; Cappellani Miſſarum ibi, quib. etiam vnus lapis
permiſſus eſt; ita vt quæuis Capella illius Templi non plures quàm duos ha-
beat lapides, vnum pro familia fundatorum, alterum pro Capellano. Factum
eſt hoc an. Dñi 1480. quæ hodie malè obſeruantur.

## ADDITIONES.

SIXTVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam *Ro-
mani* Pontificis prouidentia circumſpecta , ad ea libenter intendit,per quæ
animarum occurrit periculis,ac quarumlibet, præſertim pontificali dignitate
fulgentium & ſublimium perſonarum indemnitatib. prouidetur. Sane pro par-
te dilecti filij Nobilis Viri *Alberti Bauariæ* Ducis nobis nuper exhita petitio con-
tinebat,quod licet Beatæ *Mariæ* virginis & ſancti *Petri* Opidi *Monacenſ. Friſingen.*
Diœceſ. parrochiales Eccleſiæ ad omnimodam Venerabilis fratris noſtri mo-
derni,& pro tempore exiſtentis Epiſcopi *Friſingen.* diſpoſitionem pertineant,
illarum tamen occurrente vacatione ipſe modernus, & qui pro tempore fuit
Epiſcopus *Friſingen.* illas ad præfati *Alberti* , & pro tempore exiſtentis *Bauariæ*
Ducis ſupplicationem perſonis per *Albertum* & Ducem pro tempore exiſtentẽ
huiuſmodi nominatis conferre , & de illis etiam prouidere perſæpe conſueuit.
Quia tamen nonnunquam contigit Epiſcopum ipſum diuerſis ductum reſpe-
ctibus de eiſdem Eccleſiis, cum vt præfertur vacant aliis quam per eundem Du-
cem nominatis perſonis,quarũ aliquæ in eiſdẽ Eccleſiis non reſidebant,nec illis
per ſe ipſæ deſeruiebant prouidere,indignationes & rancores inter Epiſcopũ &
Ducẽ præfatos inſtantib. earundẽ Eccleſiarum parrochianis oriuntur. Quapro-
pter vt plurimũ inter eos ad deteriora deuenitur, in non modicum vtriuſq; Du-
cis & Epiſcopi prædictorũ diſplicentiã, ac malum exemplum & ſcandalũ pluri-
morum , vnde ſi *Alberto* ac hæredibus & ſucceſſoribus ſuis pro tempore exiſten-
tibus

tibus *Bauariæ* Ducibus jus patronatus & præſentandi perſonas idoneas ad eaſdem Eccleſias, cum eas pro tempore ſimul vel ſucceſſiue vacare contigerit perpetuis futuris temporibus reſeruaretur & concederetur *Alberti* & ſucceſſorum ſuorum ſtatui ac parochianorum animarum ſaluti, & Epiſcopi tranquillitati, nec non Eccleſiarum & opidi prædictorum felici regimini oportunè conſuleretur. Quare pro parte dicti *Alberti* Ducis aſſerentis opidum prædictum inter alia Ducatus *Bauariæ* opida inſigne, & nobilius, ſeque Palatinum & *Rheni* Comitem exiſtere, nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt ſibi pro ſe ac hæredibus & ſucceſſoribus ſuis pro tempore exiſtentibus *Bauariæ* Ducib. jus patronatus & præſentandi perſonas idoneas ad eaſdem Eccleſias cum eas pro tempore ſimul vel ſucceſſiue vacare contigerit, perpetuis futuris temporibus reſeruare & concedere, aliaſque in præmiſſis oportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos qui illius in terris vicis gerimus, qui pacem & concordiam nutrit, ac in quorum manibus idem *Albertus* Dux etiam aſſerens jus patronatus & præſentandi perſonas idoneas ad beatæ *Mariæ* in *Linkirchen* & ſancti *Laurentij Mainburg* parrochiales Eccleſias *Ratiſponen.* diœceſ. cum illas pro tempore vacare contingit; ad eum ſucceſſores ſuos *Bauariæ* Duces pertinere, ac ſe in pacifica poſſeſſione vel quaſi juris patronatus ac præſentandi perſonas jdoneas ad Eccleſias *Ratiſponen.* dioc. huiuſmodi dum pro tempore vacant, exiſtere, juri patronatus & præſentandi perſonas jdoneas ad beatæ *Mariæ* in *Linkirchen* & ſancti *Laurentij* Eccleſias huiuſmodi, per dilectum filium *Georgium Drachſſel* Canonicum *Ratiſponen.* procuratorem ſuum ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, ſponte, & libere ceſſit, quique ceſſionem ipſam duximus admittendam huiuſmodi ſupplicationibus inclinati ad beatæ *Mariæ* virginis & ſancti *Petri Alberto* & hæredibus *Bauariæ* Ducibus: nec non ad beatæ *Mariæ* in *Linkirchen*, & Sancti *Laurentij* Eccleſias prædictas, cum illas pro tempore vacare contigerit vt præfertur, ius patronatus & præſentandi perſonas idoneas moderno & ſucceſſoribus ſuis *Friſingen.* Epiſcopis pro tempore exiſtentibus huiuſmodi reſpectiue, auctoritate apoſtolica tenore præſentium perpetuo reſeruamus atque concedimus. Non obſtantibus conſtitutionib. & ordinationibus apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginã noſtræ reſeruationis, & conceſſionis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum *Romæ* apud ſanctum *Petrum*, anno incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo ſeptuageſimo octauo, Octauo Id. Iunij, Põtificatus noſtri anno ſeptimo.

*SIXTVS* Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Romanum decet Pontificem ad ea libenter intendere, per quæ conceſſa per eũ præcipuè ſublimibus perſonis ſemotis obſtaculis quibuſcunque, debitũ ſortiantur effectum: Dudum ſiquidem ex certis rationabilibus cauſis tunc expreſſis dilecto filio nobili viro *Alberto Bauariæ* Duci, & eius ſucceſſoribus Bauariæ Ducibus qui pro tempore forent, ius patronatus, & præſentandi venerabili fratri noſtro *Sixto* moderno & pro tempore exiſtenti Epiſcopo *Friſingenſi* perſonas jdoneas ad beatæ *Mariæ* Virginis, & ſancti *Petri* Opidi *Monacenſ. Friſingen.* dioc. parrochiales eccleſias dum illas ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus vacare contingeret, data propterea dicto Epiſcopo, ad cuius omnimodam diſpoſitionem pertinebant, certa recompenſa per alias noſtras litteras gratioſe conceſſimus, prout in illis plenius continetur. Cum autem ſicut exhibita

bita nobis nuper pro parte dicti Alberti Ducis petitio continebat, ipſe dubitet ne contingat interdum facta per eum, aut pro tempore exiſtentem Ducem *Bauariæ* Epiſcopo præfato præſentatione perſonarum ydonearum ad dictas eccleſias, præfatum modernum, & pro tempore exiſtentem Epiſopum *Friſingen.* denegare vel differre, earundem ſic præſentatarum inſtitutioné expedireque in huiuſmodi euentum præſentatas perſonas prædictas ad loci Metropolitan: aut ſedem Apoſtolicam recurrere pro obtinenda inſtitutione huiuſmodi, in non modicum perſonarum earundem grauamen. Pro parte dicti *Alberti* Ducis nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt quod in huiuſmodi negationis vel dilationis euentum quælibet perſona in dignitate eccleſiaſtica conſtituta aut in Metropolitan. vel alia Cathedrali eccleſia Canonicatum & præbendam obtinens, deſuper pro parte perſonę præſentatæ huiuſmodi requiſita, eandem perſonam ydoneam præſentatam in Rectorem illius ex eccleſiis prædictis ad quam præſentata foret, inſtituere poſſit concedere, aliaſque ſuper hiis oportunè prouidere, de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui honeſtis quorumlibet ſupplicum votis libenter annuimus, & perſonas quaslibet præſertim eccleſiaſticas ab inutilibus laboribus & impenſis, quantum nobis fas eſſe cognoſcimus releuare curamus. Cariſſimi in Chriſto filij noſtri *Friderici* Roman: Imperatoris ſemper Auguſti nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis & huiuſmodi dicti *Alberti* Ducis ſupplicationib. inclinati, volumus, & apoſtolica auctoritate ſtatuimus, quod ſi contingat de cœtero quandocunque perpetuis futuris temporibus, facta per præfatum *Albertum*, & pro tempore exiſtentem Ducem *Bauariæ* præſentatione, ad præfatas Eccleſias, aut aliquam earum dum pro tempore vacabunt, de perſona idonea, Epiſcopo *Friſingenſi* vel eius Vicario in ſpiritualibus generali, ſeu officiali perſonas, ſeu perſonam, ſic præſentatas, ſeu præſentatam non inſtitui infra octo dies poſt præſentationem huiuſmodi immediate ſequentes, quælibet perſona in eccleſiaſtica dignitate conſtituta, aut in Metropolitan. vel alia Cathedrali eccleſia Canonicatum & prębendam obtinens, ſuper hoc pro parte perſonæ præſentatæ huiusmodi requiſita eandem perſonam ydoneam præſentatam in Rectorem Eccleſiæ, ad quam præſentata foret, apoſtolica auctoritate inſtituere liberè & licitè valeat in omnibus & per omnia perinde, ac ſi eidem perſonæ, ſeu Canonico id nominatim per ſedem Apoſtolicam & ſpecifice commiſſum foret, decernentes prioribus noſtris litteris prædictis ſuper conceſſione dicti iuris patronatus & præſentibus noſtris litteris, & in eis contentis, per quascunque litteras & conceſſiones, quæ in contrarium à ſede præfata hactenus emanaſſent, vel emanarent in poſterum, non cenſeri derogatum, nec eiuſdem ſedis eſſe intentionis derogandi, niſi ſolum & duntaxat, dum, & quotiens id antequam ſedes ipſa ad derogationem ipſam procedat per ſedem ipſam fuerit intimatum *Alberto*, & pro tempore exiſtenti duci *Bauariæ* prædicto, per diuerſas litteras eiuſdem ſedis ſub diuerſis datis, cum interuallo duorum menſium inter priorum & poſteriorum litterarum huiuſmodi conceſſionem confectas, & eidem duci præſentatas, intentionis dictę ſedis fore iuri patronatus & prioribus ac poſterioribus litteris noſtris huiusmodi, ea vice duntaxat derogare, necnon irritum & inane ſi ſecus ſuper hijs à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attemptari: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, conſtitutionis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat: *Ro-*

*mæ* apud ſanctum *Petrum*, anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo, quadringenteſimo, ſeptuageſimo nono, octauo Kalend. May, Pontificatus noſtri anno octauo.

*Sinolſus.*

INNOCENTIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Roman. Pontifex qui ſuper vniuerſas orbis Eccleſias obtinet diuina diſpoſitione primatum nonnullarũ ex eiſdem Eccleſiis ſtatum aliquando immutat alias interdum ſpecialib. honorib. attolendo præcipue dum Catholicorum Principum id expoſcit deuotio & cauſſæ rationabiles perſuadent ac in domino conſpicit ſalubriter expedire. Sanè accepimus quod S. *Vdalrici* in *Habach* & S. *Arſacij* in *Illmunſter* locis ruralib. & ſolitariis temporali dominio dilecti filij Nobilis viri *Alberti* Comitis Palatini *Rheni* altæ & baſſæ *Bauariæ* Duci ſubiectis *August.*, *Moguntinen.* Prouinciç, & *Friſing.* dioc. Collegiatæ Eccleſiæ fore noſcuntur ad quas propter locorum huiuſmodi ſolitudinem pauci Chriſtifideles confluere conſueuerant, ꝑpter quod ipſarũ Eccleſiarũ canonici & alij in illis ꝑpetui Beneficiati, circa decantandas horas Canonicas & alia diuina officia inibi celebranda admodũ negligentes ſe conſtituunt, ac vitam inhoneſtam & diſſolutã ducunt. Verũ ſi in ſingulis eccleſiis præfatis Præpoſitura quæ principalis & Decanatus quç non tamẽ principalis dignitates inibi exiſtũt, & in qualibet dictarũ eccleſiarum tres Canonicatus & totidẽ præbendç qui in ſuis fructibus, redditib. & prouentib. aliquantulũ tenues ad præſens exiſtũt ſupprimerẽtur & extinguerẽtur, & parrochialis eccleſia B. *Mariæ* virginis ſita in inſigni Opido *Monacho* nuncupato dictæ *Friſingen.* dioc temporali dominio eiuſdem Ducis ſubiecto, & in quo præfatus Dux ſuam perſonalem reſidentiam facere conſueuit, quæ admodum notabilis Eccleſia reputatur, & de iure patronatus ipſius Alberti Ducis exiſtit, ac in qua claræ memoriæ *Ludouicus* Roman. Imperator vnus ex prædeceſſoribus ſuis requieſcit, ipſeq; *Albertus* Dux propter ſpecialem deuotionem quam ad illam habet ſuam ibidem elegit ſepulturam in Collegiatam Eccleſiam cum ſigillo Archa communi & aliis Collegialibus inſigniis ac in ea vna præpoſitura principalis & vnus Decanatus non tamen principalis dignitates ad inſtar aliarum Collegiatarum eccleſiarum illarum partium erigerentur & inſtituerentur, nec non Canonicatus & præbendæ dictarum ſancti *Vdalrici* & & ſancti *Arſacij* eccleſiarum qui poſt ſuppreſſionẽ & extinctionẽ prædictas duodecim Canonicatꝰ & totidẽ præbendæ erunt, nec nõ Canonici illa obtinẽtes ad dictã erigendã eccleſiam, in qua quam plura ſimplicia beneficia eccleſiaſtica ꝑ eundem *Ludouicũ* Imperatorẽ fundata exiſtunt, cum omnibus eorũ bonis, fructibus, redditib. & prouentib. transferrentur. Ita quod fructus, redditꝰ & prouẽtus huiuſmodi inter duodecim Canonicos æqualiter diuiderentur, Præpoſitus verò & Decanꝰ pro tẽpore exiſtens dictæ erigendæ Eccleſiæ duplicẽ portionem haberent, ac ius patronatꝰ & præſentandi perſonã ydoneã ad præpoſiturã erigendã huiuſmodi præfato *Alberto* de cuius etiã iure patronatꝰ præpoſitura dictæ Eccleſiæ S. *Arſacij* exiſtit & ſucceſſorib. ſuis altæ & baſſæ *Bauariæ* huiuſmodi Ducibus pro tempore exiſtentib. perpetuo reſeruaretur & concederetur profecto ex dictis duob. ruralib. Collegiis vnũ inſigne & notabile Collegium fieret, prçfatiq; Canonici propter loci dignitatẽ & populi confluentiã ac Principis deuotionem & perſonalem reſidentiam ad diuina officia inibi deuotè & laudabiliter celebranda diligentiores & attentiores redderentur, ex quo diuinus cultus cum populi deuotione inibi plurimum augeretur, idque ad ſpiritualem con-

lem conſolationem populi eiusdem opidi ac animarum ſalutem cederet, præ-
fatus quoque dux fructus redditus & prouentus menſæ Capitularis dictæ erigē-
dę Eccleſię continuè augmentare ſtuderet, ipſamque erigendam Eccleſiam
priuilegiis & libertatibus honorificè decoraret. Nos igitur qui decorem domus
Dei ac diuini cultus augmentum ſinceris deſideriis affectamus, præfatum *Alber-
tum* ducem à quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti a-
liisque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à iure vel ab homine quauis
occaſione vel cauſa latis ſiquibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum
præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes & abſolutū fore
cenſentes motu proprio non ad ipſius ducis vel alterius pro eo nobis ſuper hoc
oblatæ petitionis inſtantiam ſed de noſtra mera liberalitate in ſancti *Vdalrici* &
ſancti *Arſacii* Eccesiis prædictis præpoſituras & decanatus præfatos, & vt Præpo-
ſitus, Decanus, & Canonici in dicta erigenda Eccleſia deputandi honeſtius viue-
re & onera eis incumbentia facilius ſufferre valeant in qualibet ſancti *Vdalrici*
& ſancti *Aſiacij* eccleſiarum prædictarum tres Canonicatus & totidem præben-
das quos primo per ceſſum vel deceſſum illos ad præſens obtinentium vacare
contigerit ex nunc, alias tamen abſque præiudicio Præpoſituras, Decanatus
& Canonicatus & præbendas huiuſmodi ad præſens obtinentium quoad vixe-
rint auctoritate apoſtolica tenore præſentium perpetuo penitus ſupprimimꝰ &
extinguimus, nec non præfatam eccleſiam beatæ Mariæ in Collegiatam Eccle-
ſiam cum ſigillo & Archa communibus ac aliis Collegialibus inſigniis, nec non
in ea vnam Præpoſituram principalem pro vno Præpoſito qui caput Capituli
exiſtat, ac præeminentiam in eadem eccleſia, prout habent Præpoſiti aliarum
Collegiatarum Eccleſiarum illarum partium habeat, & vnum Decanatum non
tamen principalem inibi dignitates pro vno Decano dummodo ex hoc alicui
præiudicium alias non fiat, auctoritate & tenore præmiſſis erigimus & inſtitui-
mus, ac Canonicatus & præbendas dictarum ſancti *Vdalrici* & ſancti *Arſacij* ec-
cleſiarum, qui poſtquam ſuppreſſio & extinctio prædictę ſuum ſortitę fuerint
effectum duodecim erunt vt pręfertur, & Canonicos illos obtinentes cum om-
nibus & ſingulis eorum bonis, fructibus, redditibus, & prouentibus ad di-
ctam erectam eccleſiam transferimus, quodque fructus, redditus, & prouen-
tus huiuſmodi inter duodecim Canonicos ęquis portionibus diuidantur, Prę-
poſitus verò & Decanus pro tempore exiſtentes dictę ſic erectę Eccleſię dupli-
cem portionem habeant motu auctoritate & tenore pręfatis ſtatuimus & ordi-
namus. & nihilominus ius patronatus & pręſentandi perſonam ydoneā & Prę-
poſituram ſic de nouo erectam, nec non decanatū, Canonicatꝰ, & prębendas a-
liaq; beneficia eccleſiaſtica oĩa & ſingula in dicta erecta eccleſia fundata & im-
poſterum fundanda, nec non ad S. *Vdalrici* & S. *Arſacij* Eccleſias huiuſmodi pro
hac prima vice & quotiens illa vacare contigerit Alberto duci de cuius etiam
iure patronatus Prępoſitura Eccleſię ſancti *Arſacij* huiuſmodi vt pręfertur exi-
ſtit, & ſucceſſoribus pręfatis eiſdem motu, & auctoritate perpetuò reſeruamus
& concedimus. Et inſuper Prępoſito, decano, & Canonicis pręfatis, vt in ha-
bitu eccleſiaſtico tâm ęſtiuali quàm hyemali temporibus Prępoſitis, decanis, &
Canonicis' eccleſiarum Collegiatarum earum partium ſe conformare
poſſint & debeant harum ſerie indulgemus. Non obſtantibus conſtitutio-
nibus & ordinationibus apoſtolicis ac ſtatutis & conſuetudinibus ſancti *Vdalri-
ci* & ſancti *Arſacij* Eccleſiarū pręditarum iuramento confirmatione apoſtolica
vel quauis firmitate alia roboratis nec non quibuſuis generalibus vel ſpecialib.
reſeruationibus de dignitatibus principalibus in Collegiatis eccleſiis per ſedem
apoſtolicam pro tempore factis cæteriſq; contrariis quibuſcunq;. Volumus au-

tem quod ſancti *Vdalrici* & ſancti A*rſacij* eccleſiæ prædictę quę parrochiales ſunt debitis propterea non fraudentur obſequiis & animarum cura in eis nullaten⁹ negligatur, ac alia eorum onera conſueta, congruè ſupportentur. Quodque ſi cõtingat dictũ ducẽ pręſentare ad aliqua ex beneficiis ꝑdictis dicta Præpoſitura ac beneficiis alias de iure patronatus dicti ducis vel aliorum laicorum in eccleſia huiuſmodi exiſtentibus duntaxat exceptis in Menſibus apoſtolicis pro tempore vacaturis quorum ſingulorum fructus, redditus, & prouentus, viginti quatuor florenorum auri de Camera ſecundum communem extimationem valorẽ annuum excedant, perſonæ ſic præſentatæ & inſtitutæ infra ſex menſes ex tunc computandos nouam prouiſionem ſuper illis à ſede apoſtolica impetrare & litteras apoſtolicas deſuper totaliter expedire teneantur. Alioquin dicta beneficia vacare cenſeantur eo ipſo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, ſuppreſſionis, extinctionis, erectionis, inſtitutionis, translationis, ſtatuti, ordinationis, reſeruationis, conceſſionis, indulti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum *Petri* & P*auli* Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum *Romæ* apud ſanctum *Petrum.* anno incarnationis Dominicæ Milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo ſecundo, tertio Idus Aprilis, Pontificatus noſtri anno octauo.

P. Tuba.

A*LEXANDER* Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Apoſtolicæ ſedis benignitas conſueta circa ea, quæ ad diuini nominis laudem pertinent ſemper intenta pia Catholicorum Principum deſideria ſpecialibus fauoribus libenter proſequitur & alias eorum votis benigne annuit, pręcipue dum ex illis diuinus cultus augetur & perſonis altiſſimo famulantibus in ſuis neceſſitatibus prouidetur, ac alias conſpicit in domino ſalubriter expedire. Sane dudum per felicis recordationis *Innocentium* PP. VIII. prædeceſſorem noſtrum accepto, quod ſancti V*dalrici* in *Haebach* & ſancti *Arſacij* in *Illmunſter* locis ruralibus & ſolitariis temporali dominio dilecti filij Nobilis viri *Alberti* Comitis Palatini *Rheni* altæ & baſſæ *Bauariæ* Ducis ſubiectis *Auguſt.* dioc. *Moguntinen.* Prouincię, & *Friſingen.* dioc. Collegiatæ Eccleſiæ fore noſcebantur, ad quas propter locorum huiuſmodi ſolitudinem pauci Chriſti fideles confluere conſueuerant, & ob hoc ipſarum Eccleſiarum Canonici & alij in eis perpetui Beneficiati, circa decantandas horas Canonicas & alia diuina officia inibi celebranda admodum negligentes ſe conſtituebant, ac vitam inhoneſtam & diſſolutam ducebant, quodque ſi in ſingulis eccleſiis præfatis Præpoſitura quæ principalis & Decanatus qui non tamen principalis dignitates inibi exiſtebant, & in qualibet dictarum eccleſiarum tres Canonicatus & totidem præbendę qui in ſuis fructibus, redditibus, & prouentibus aliquantulum tenues erant ſupprimerentur & extinguerentur, ac parrochiales eccleſia Beatæ *Mariæ* virginis ſita in inſigni Opido *Moniaco* nuncupato, dictæ *Friſing* dioc. temporali dominio eiuſdẽ ducis ſubiecto, & in quo præfatus Dux ſuã reſidẽtiã facere conſueuerat, quæ admodum notabilis Eccleſia reputabatur, & de iure patronatus ipſius ducis erat, & in qua corpus claræ memorię *Ludouici* Rom: Imperatoris

vnius

vnius ex prædeceſſoribus ſuis *Bauariæ* ducibus requieſcebat ipſeq; *Albertus* Dux
propter ſpecialē deuotionem quam ad illam habebat ſuam inibi ſepulturā ele-
gerat in Collegiatam Eccleſiam cum ſigillo Archa communi & aliis Collegiali-
bus inſigniis, & in ea vna præpoſitura principalis & vnus decanatus non tamen
principalis dignitatis ad inſtar Collegiatarū eccleſiarū illarum partiū erigeren-
tur & inſtituerentur, nec non Canonicatus & præbendæ S. *Vdalrici* & S. *Arſacij*
eccleſiarum prædictarum qui poſt ſuppreſſionem huiuſmodi duodecim Cano-
nicatus & totidē præbendæ eſſent nec non Canonici illos obtinentes ad dictam
tunc erigendā eccleſiam in qua plura ſimplicia beneficia eccleſiaſtica per eun-
dem Ludouicum Imperatorem fundata erant cum omnib. eorum bonis, fructi-
bus, redditibus, & prouentib. transferrētur, ita quod fructus, redditus, & prouē-
tus huiuſmodi inter duodecim Canonicos æqualiter diuiderentur, Præpoſitus
verò & Decanus pro tempore exiſtentes ipſius erigendæ Eccleſiæ duplicē por-
tionem haberent ac ius patronat⁹ & præſentandi perſonam ydoneā ad Prępoſi-
turā erigendam huiuſmodi præfato *Alberto* Duci, de cuius etiā iurepatronat⁹ Prępoſitura dictę eccleſiæ S. *Arſacij* exiſtebat & ſucceſſorib. ſuis altæ & baſſæ *Baua-
riæ* ducib, pro tēpore exiſtentibus perpetuo reſeruaretur & concederetur pro-
fecto ex dictis duob. ruralib. Collegiis vnum inſigne & notabile Collegium fieret
pręfatiq; Canonici propter loci dignitatē & populi confluentiam ac Principis
deuotionem & perſonalem reſidentiam ad diuina officia inibi deuotè & lauda-
biliter celebranda diligentiores & attentiores redderentur, ex quo cultus diui-
nus cum populi deuotione inibi plurimum augeretur, idque ad ſpiritualem
conſolationem populi eiuſdem opidi ac animarum ſalutem cederet, præfatus
quoq; dux fructus menſe Capitularis dictæ Eccleſiæ continue augmentare ſtu-
deret, ipſamque eccleſiam priuilegiis & libertatibus honorificè decoraret, præ-
fatus Innocentius prædeceſſor per ſuas litteras motu proprio in S *Vdalrici* & S.
*Arſacij* eccleſiis prædictis Præpoſituras & Decanatus præfatos, & vt Præpoſitus.
Decanus, & Canonici in dicta erigenda Eccleſia deputandi honeſtius viuere &
onera eis incumbentia facilius ſupportare valerent, in qualibet S. *Vdalrici* &
ſancti *Arſacij* Eccleſiarum prædictarum tres Canonicatus & totidem præbendas
quos tunc primo per ceſſum vel deceſſum ſeu quamuis aliam dimiſſionem illos
obtinentium vacare contingeret, extunc abſque tamen præiudicio præpoſitu-
ras, Decanatus, ac Canonicatus & præbendas tunc obtinentium qnoad viuerēt
auctoritate apoſtolica penitus ſuppreſſit & extinxit, ac præfatam eccleſiam
beatæ *Mariæ* in Collegiatam eccleſiā cum ſigillo & archa communibus ac aliis
Collegialibus inſigniis, nec non in ea vnam Prępoſituram principalem pro vno
Præpoſito qui caput Capituli eſſet & præeminentiam prout alij Præpoſiti alia-
rum Collegiatarum eccleſiarum illarum partium habent, haberet & vnum De-
canatū pro vno Decano dummodo ex hoc præiudicium non generaretur ere-
xit & inſtituit ac Canonicatus & præbendas dictarum ſancti *Vdalrici* & ſancti
*Arſacij* Eccleſiarum qui poſtquam ſuppreſſio huiuſmodi eſſet ſortita effectum
duodecim eſſent & Canonicos illos obtinentes cum omnibus & ſingulis illorū
bonis ac fructibus, redditibus, & prouentibus, ad dictam Eccleſiam ſic erectam
tranſtulit, quodque fructus, redditus & prouentus huiuſmodi inter duodecim
Canonicos æquis portionibus diuiderentur, Præpoſitus verò & Decanus pro
tempore exiſtentes duplicem portionem haberent, ſtatuit & ordinauit, nec nō
ius patronatus & præſentandi perſonas ydoneas ad Præpoſituram, Decanatū,
Canonicatus & præbendas, aliaque beneficia eccleſiaſtica omnia & ſingula
in dicta erecta eccleſia fundata & fundanda, ac ad ſancti *Vdalrici* & ſancti
*Arſacij* eccleſiam huiuſmodi pro prima vice, & quotiens illā vacare contingeret

*Alberto* Duci & ſucceſſoribus præfatis eiſdem motu & auctoritate perpetuo reſeruauit & conceſſit. Et inſuper Præpoſito, Decano, & Canonicis præfatis vt in habitu Eccleſiaſtico tàm æſtiuali quam hiemali temporib. Præpoſitis, Decanis, & Canonicis aliarum Collegiatarum eccleſiarum illarum partium ſe conformare poſſent & deberent indulſit, prout in eiſdem litteris plenius continetur. Cum autem ſicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Alberti Ducis petitio cõtinebat, pauci Chriſti fideles non ſimpliciter prout in dictis litteris expreſſum, fuit, ſed reſpectu aliarum Collegiatarum Eccleſiarum in locis inſignibus conſiſtentium ad dictas ſancti *Vdalrici* & ſancti *Arſacij* Eccleſias confluere conſueuerint, & dicti Canonici non ita abſolutè circa diuina officia negligentes ſint, nec inhoneſtam & diſſolutam vitam ducant, ſed non ita diligentes ſint ſicut deberent & vitam clericali ſtatui ita conuenientem ſicut deceret non ducant, & propterea dictus *Albertus* Dux dubitet litteras prædictas de ſurreptionis vitio notari poſſe, ipſeque Dux cupiat non in dicta eccleſia ſancti *Vdalrici*, ſed in eccleſia ſancti *Sixti* in *Schlierſee* dictæ *Friſingen.* dioc. Præpoſituram & Decanatum & non tres ſed duos tantum Canonicatus & totidem præbendas extingui, ac omnes tàm ſancti *Sixt* quam ſancti *Arſacij* Ecoleſiarum prædictarum Canonicatus & præbendas ac Canonicos ac alterius illarum Præpoſituram & Decanatum vſque ad tempus vacationis eorundem ac illius Præpoſitum & Decanum illico poſtquam quoad vnius earundẽ eccleſiarum Præpoſituræ & Decanatus extinctio huiuſmodi ſuum ſortita fuerit effectum ad ipſam erectam eccleſiam transferri, ac omnia & ſingula quæ in prædictis litteris de eccleſia ſancti Vdalrici illiuſque Præpoſitura, Decanatu, Canonicatibus & præbendis expreſſa ſunt, ad Eccleſiam ſancti Sixti illiuſque Præpoſituram, Decanatum, ac Canonicatus, & præbendas referri & de illis intelligi debere, præcipuè ne ex hoc fiat præiudicium Venerabili fratri noſtro Epiſcopo *Auguſten.* in cuius dioc. eſt ipſa eccleſia ſancti *Vdalrici* & opidum prædictum eſt in dioc. *Friſingen.* ac ſingulis præbendis dictæ Eccleſię S. *Vdalrici* ſint annexę ſingulę parrochiales eccleſię quibus non ita diligenter deſeruiretur & propterea ex hoc ſcandala & animarum pericula ſubſequi poſſent. Et ſicut eadem petitio ſubiungebat ſi tria ſimplicia perpetua beneficia Eccleſiaſtica in dicta erecta Eccleſia exiſtentia quę de iure patronatus dicti Ducis exiſtunt Menſæ capitulari ipſius erectę Eccleſię pro augmento quotidianarum diſtributionum perpetuo vnirentur, annecterentur, & incorporarentur ex hoc profectò Præpoſitus, Decanus, & Canonici in ſuis neceſſitatibus aliquod ſuſciperent releuamen pro parte præfati Ducis nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt dicta tria beneficia eidem menſæ perperpetuo vnire, annectere, & incorporare aliaſque in præmiſſis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis vniri tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundum cõmunem extimationem tàm beneficij vniendi quam illius cui aliud vniri peteretur alioquin vnio non valeret & ſemper in vnionibus fieret commiſſio ad partes vocatis quorum intereſſet præfatum *Albertum* Ducem à quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis cenſuris & pœnis à iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſſa latis ſiquibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium duntaxat conſequẽdum harum ſerie abſoluentes & abſolutum fore cenſentes ac tam Menſæ Capitularis quã trium beneficiorũ prædictorũ, fructuum, redditũum & prouentuũ veros annuos valores præſentib. pro expreſſis habentes huiuſmodi ſup-

di ſupplicationibus inclinati volumus, & apoſtolica auctoritate prædicta de-
cernimus quod litteræ prædictæ cum omnibus & ſingulis in eis contentis clau-
ſulis à dant præſentium valeant plenamq; roboris firmitatem obtineant in om-
nibus, & per omnia perinde ac ſi in eisdem literis quod pauci Chriſti fideles ad
ſancti Vdalrici & ſancti Arſacij eccleſias prædictas reſpectu aliarum Collegiata-
rum eccleſiarum in locis inſignibus conſiſtentium confluere conſueuerant, &
illarum Canonici circa horas canonicas decantandas & alia diuina officia inibi
celebranda non ita diligentes, vt debebant ſe exhibebant & vitam clericali ſta-
tui, vt decebat conuenientem non ducebant expreſſum fuiſſet. Et nihilominus
non in dicta Eccleſia ſancti *Vdalrici*, ſed in eccleſia ſancti *Sixti* huiuſmodi Præ-
poſituram & Decanatum ac duos Canonicatus & totidem præbendas tantum
extinctos, nec non omnes & ſingulos tàm ſancti *Sixti* quàm ſancti *Arſacij* eccle-
ſiarum prædictarum Canonicatus & præbendas ac Canonicos, nec non alterius
earundem Præpoſituram & Decanatum vſq; in tempus vacationis earundem
ac illius Præpoſitum & Decanum illico poſtquam vnus earundem eccleſiarum
Præpoſituræ & Decanatus extinctio præmiſſa ſuum ſortita fuerit effectum ad
ipſam erectam eccleſiam translatos fore, nec non omnia & ſingula alia quæ in
prædictis litteris de eccleſia ſancti *Vdalrici* illiusque Præpoſitura & decanatu ac
Canonicatibus & præbendis expreſſa ſunt ad eccleſiam ſancti *Sixti* illiusq; Præ-
poſituram Decanatum Canonicatus & præbendas referri & de illis intelligi de-
bere ac Præpoſitum Decanum & Canonicos ipſius erectæ eccleſiæ etiã quoad
delationem almutiorum de variis Præpoſitis Decanis & Canonicis aliarũ Col-
legiatarum eccleſiarum illarum partium ſe conformare poſſe, quodque reſer-
uatio jurispatronatus prædicta ad Præpoſituram, Decanatum ac Canonicatus
& præbendas dictæ erectæ Eccleſiæ duntaxat & non ad alia beneficia in ea fun-
data & fundanda ſe extendat. Et inſuper tria perpetua ſimplicia beneficia præ-
dicta cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis præfatæ menſæ pro augmento
quotidianarum diſtributionum earundem perpetuo auctoritate prædicta vni-
mus, annectimus, & incorporamus, ita quod ſimul vel ſucceſſiuè cedentibus
vel decedentibus tria beneficia prædicta ad præſens obtinentibus ſeu illa alias
quomodolibet dimittentibus liceat dilectis filiis Capitulo dictę erectæ eccleſię
per ſe vel alium ſeu alios corporalem poſſeſſionem beneficiorum juriumq; &
pertinentiarum prædictorum propria auctoritate liberè apprehendere & per-
petuo retinere, illorumque fructus, redditus & prouentus in ſuos & dictę men-
ſæ vſus & vtilitatem pro huiuſmodi diſtributionibus conuertere, Dioceſani lo-
ci & cuiusuis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Præterea ad obui-
andum differentiis quæ inter *Præpoſitum*, Decanum, & Capitulum ipſius ere-
ctæ eccleſię & illius pro tempore exiſtentem Rectorem Plebanum nuncupa-
tum præmiſſorum occaſione ſuborta poſſent auctoritate prędicta ſtatuimus &
ordinamus, quod circa diuinum officium in ipſa erecta eccleſia celebrandum
ac horas Canonicas diurnas & nocturnas perſoluendas, legendas & decantan-
das prouideatur prout juri & rationi conſonum fuerit per eos qui circa illa de
jure ſtatuere poſſunt, qui eius piæ menti & deuotioni quo melius fieri poterit,
quodque cura animarum totius cleri dictę eccleſiæ illiusq; correctio ſolo Præ-
poſito excepto apud dictam eccleſiam quantum ad diuinum cultum attinet,
ad Decanum pertineat, cura verò animarum populi ſeu parochianorum ipſius
eccleſiæ apud Rectorem ſeu paſtorem prædictum vt prius ſemper remaneat,
ipſeq; Rector qui pro tempore fuerit ratione ſuæ Rectoriæ perſonatum vnum
ac locum ſiue ſtallum in Choro ipſius Eccleſiæ immediatè poſt Decanum ipſius
verò Rectoris Capellani Cooperatores nuncupati loca in choro huiuſmodi im-

mediatè poſt Canonicos & ante alios ipſius Eccleſiæ Capellanos habeant: non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, nec non voluntate noſtra prædicta ac omnibus illis quæ præfatus Innocentius prædeceſſor in dictis ſuis litteris voluit non obſtare contrariis quibuscunque. Aut ſi aliqui ſuper prouiſionibus ſibi faciendis de huiuſmodi vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales vel generales apoſtolicæ ſedis vel Legatorum eius litteras impetrarint, etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſeruationem & decretum vel alias quomodolibet ſit proceſſum quas quidem litteras ac proceſſus habitos per eaſdem & inde ſecuta quæcunque ad dicta vnita beneficia volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum præiudicium generari & quibuslibet aliis priuilegiis, indulgentiis & litteris apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter nõ inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Prouiſo quod propter vnionem, annexionem, & incorporationem prædictas dicta vnita beneficia debitis non fraudentur obſequiis ſed eorum congrue ſupportentur onera conſueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, voluntatis, conſtitutionis, vnionis, annexionis, incorporationis, ſtatuti, ordinationis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum *Romæ* apud ſanctum *Petrum*, Anno incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio, Id. Octobris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

P. *Tuba.*

ALexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ad vniuerſalis Eccleſiæ regimen meritis licet imparibus diuina diſpoſitione aſſumpti inter multiplices quibus continuo angimur curas illa præcipuè pulſat & incitat mentem noſtram vt circa ea ſolerti ſtudio intendere debeamus per quæ Eccleſiæ omnes præſertim collegiatæ inſignes illarumque perſonæ in eis diuinis obſequiis intendentes ſuccisis quibusuis litigiorum fomitibus in ſtatu proſpero & tranquillo regantur, dirigantur & gubernentur ac Chriſti fideliũ ad easdem Eccleſias deuotio conſeruetur & augeatur nec non cum animarum ſalute diuinus cultus inibi continuo ſuſcipiat incrementum, ac ea quæ adhoc prouide facta eſſe cognoſcimus vt firma perpetuò & illibata perſiſtant noſtræ approbationis munimine roboramus, ac deſuper ſtatuimus & ordinamus prout id in Domino comperimus ſalubriter expedire. Sanè accepimus quod licet dilectus filius Nobilis vir *Albertus* Comes Palatinus *Rheni* qui Altæ & Baſſæ *Bauariæ* dux exiſtit pia deuotione ductus cupiensque in eccleſiis terrarum & dominiorum ſuorum diuinum cultum augeri juxta quandam conceſſionem felicis recordationis *Innocentij* P P. VIII. prædeceſſoris noſtri poſtmodum per nos ſub certis modo & forma reualidatam in ſancti *Arſatij* & *Illminſter* ac ſancti *Sixti* in *Sliere* eccleſiis *Friſingen.* dioc. quę in temporali dominio eiuſdem *Alberti* conſiſtunt, vnam Pręposituram & vnum Decanatum, & in qualibet eorum nonnullos Canonicatus & præbendas ſupprimi & extingui ad Eccleſiam beatæ *Mariæ* Virginis Opidi *Monachi*, dictæ dioc. quæ de jure patronatus eiuſdem *Alberti*

exiſtit

exiſtit in Collegiatam cum vna Præpoſitura & vno Decanatu qui inibi dignita-
tes forent ac certis Canonicatibus & præbendis erigi & inſtitui ac certam trans-
lationem inibi fieri etiam ſub certis modo & forma obtinuerit, prout in diuer-
ſis noſtris & ipſius *Innocentij* prædeceſſoris litteris deſuper reſpectiuè confectis
plenius continetur, ac ex præmiſſis in dicta Eccleſia beatæ Mariæ diuinus cultus
maximum incrementum ſuſceperit, & Chriſti fidelium deuotio adaucta fuerit,
nihilominus bonæ memorię *Sixtus* Epiſcopus *Friſingen.* dum ageret in humanis
vna cum tunc Prępoſito Decano & dilectis filiis Capitulo dicto Eccleſiæ *Friſing.*
